

quando alia demum creanda fuerunt; & omnia etiam in primâ generatione mundi *per eum facta sunt;*

20. & *maclatus* etiam typicè in sacrificiis, inde à jactis novi mundi fundamentis, ac *vestimenta* ex pellibus nuditati PRIMORUM HOMINUM donans, in umbrâ quadam, PER TERRENA, creationem novam *cœpit;*

21. & redimens jam olim ac deducens ISRAELEM *prosequutus est:*

22. tamen postquam *descendit de cœlo* & caro factus in terrâ habitavit nobiscum, ut serpentem qui *defecerat à cœlo*, & seduxerat in terrâ hominem, ejiceret foràs;

23. per ea quæ *cœpit facere & docere*, usque ad ascensionem, (uti *Lucas Acta Ap. incipit*) inde ab initio Evangelii (uti *Marcus incipit,*)

24. & quæ post resurrectionem & ascensionem regnans in medio inimicorum *perrexit facere;*